

№ 5, d x

Orationes
Silverstainianas

die XVII. Maji MDCCCXLIV.

hora IX. antemeridiana

in Gymnasii auditorio primae classis habendas

indicit



Carolus Theophilus Anton,

Philos. Doct. et Artium liberal. Mag., Theol. Baccal., Professor regius, Gymnas.
Rect. et soc. lat. Jenens. nec non societ. Lus. sup. lit. sodal. honor. atque
in soc. theotisc. Berol. cooptatus.

Praemittitur brevis expositio doctrinae de categoriis, quas statuerunt
philosophi.

Gorlicii,

ex officina Heinziana.

980
5 (1844)



Quae studia philosophica juvenes admodum amabamus, sed quum munus scholasticum administrantes ut aliis literis, inprimis historicis, in quibus minus operae locaveramus, otium impenderemus, scholarum ratio nos adduceret, negligere coacti eramus, ad ea certe ad breve tempus recurrimus, commoti dissertatione philosophica carissimi filii, qua nobis diem natalem sexagesimum septimum congratulatus est, atque id ipsum nos incitavit ad doctrinam de categoriis, quum copiosius propter sumtus libelli excudendi non liceat, paucis certe, discipulis nostris et si qui alii fuerint, quorum talia perspicere intersit, exponendam hae occasione aliquid cum doctis hominibus communicandi oblata.

Quod primum nomen categoriarum attinet, ex *κατά* et *ἀγορά* deducendum, prima significatio est: accusatio in foro; *κατηγορεῖν* verbum nil aliud indicat, nisi: contra aliquem in foro dicere. Sic igitur *κατηγορία* est accusatio, quam aliquis in foro contra alium profert, et *κατήγορος* accusator ipse nuncupatur, *κατηγόρημα* vero est id, ejus aliquis accusatur, crimen. Deinde autem dialectici accusandi potestate omissa tantum servarunt notionem praedicandi de aliquo et *κατηγορίαν* interpretati sunt: praedicamentum. Nam qui alterum accusat, de eo aliquid praedicat i. e. publice declarat, vel omnino: declarat, enunciat. Sic Philo (de mundi incorrupt. ed. Hoeschelii, Fref. 1691. pag. 959.) *τοὺς γένεσιν καὶ φθορὰν τοῦ κόσμου κατηγοροῦντας* eos dicit, qui mundi ortum et interitum praedicant, i. e. mundo initium et finem tribuunt, et Alexander Aphrodisiensis *περὶ εἰμαρμένης καὶ τοῦ ἐφ' ὑμῖν* c. 8., haec scribit: *ἐφ' ὃν ἀνατίως γεγενῆσθαι πείθουσιν αὐτοὺς, ἐπὶ τούτων τὸ αὐτόματον κατηγοροῦσιν*, quae sine causa fieri sibi persuadent, de iis praedicant vel declarant *τὸ αὐτόματον*, i. e. ea fieri sua sponte, per se, nullo juvante. Ita etiam philosophi *categoryma* dicunt id, quod de aliquo praedicari potest, vulgo: praedicabile, *κατηγορούμενον* vero praedicatum ipsum. Apud Ciceronem (Tusc. Quaest. IV, 9.) legis: „quae dicuntur de quodam aut quibusdam *κατηγορήματα* dialectici appellant; ut habere divitias, capere honores.“ Ab Aristotele decem prae-

dicamenta quae vulgo dicuntur, i. e. notionum vel totius cognitionis humanae fundamenta, ad quae omnes voces simplices referendae sint, dicta sunt categoriae, unde ingeniosus apud Lucianum (Demon. 56.) lusus reperitur: *εἰδὼς γὰρ αὐτὸν (Herminum Aristotelicum) παγκάκιστον μὲν ὄντα καὶ μυρία κακὰ ἐργαζόμενον, τὸν Ἀριστοτέλη δὲ διὰ στόματος καὶ αὐτοῦ τὰς δέκα κατηγορίας ἔχοντα, Ἑρμῖνε, ἔφη, ἀληθῶς ἄξιός ἐστι δέκα κατηγοριῶν*, quum eum pessimum esse et plurima mala patrare videret, Aristotelem vero in ore habentem ejusque decem categorias, Hermine, inquit, vere dignus es decem categoriis i. e. accusationibus, ergo: decem crimina commisisti. Distinguunt etiam categorias et categoremata, ita ut illae sint notiones primariae ipsae, haec notiones a primariis deductae. Causa v. c. est categoria, vis vero vel efficacitas categorema, deducta quippe ex primaria notione, quae est causa, notio secundaria.

Quis autem primus illas notiones primarias, quae fundamenti instar reliquas sustinent et totum complexum cogitationum in classes suas distribuunt, quaesiverit, quaesitasque invenerit, certum quidem non est. Quae enim decem categoriae ab Aristotele originem duxisse putantur, eadem jam ab Archyta Tarentino, maris et terrae numeroque carentis arenae mensore (Hor. Od. I, 28.), qui misero naufragio quum perisset, diu inhumatus in litore Apuliae jacuit, et seculo prior Aristotele vixit, in libro *περὶ τοῦ παντὸς φύσιος*, Lips. 1564. et Venet. 1571., qui tamen multis subditiciis esse videtur, simili modo, quo Aristoteles eas descripsit, enumerantur et explicantur,¹⁾ sed aptiore nomine *δέκα λόγοι καθολικοί* vocantur. Primus, quantum notum est, qui fundamentis nostrae scientiae indagandis operam daret, erat Alcmaeo Crotoniates, qui ipsum Pythagoram audivit, ergo jam dimidio seculo ante Archytam vixisse videtur, medicus a veteribus celebratus. Memorat enim Aristoteles (metaphys. I, 3.), hunc animadvertisse duplicem naturam omnium, quae ab homine cognosci queant, per quam decem disjunctiones vel oppositiones existant: 1.) *πέρας, ἄπειρον*, finitum, infinitum, 2.) *περιττόν, ἄρτιον*, impar, par, 3.) *ἓν, πλῆθος*, unum, plura, 4.) *δεξιόν, ἀριστερόν*, dextrum, sinistrum, 5.) *ἄρρεν, θῆλυ*, masculinum, femininum, 6.) *ἡρεμῶν, κινούμενον*, quiescens vel quod

¹⁾ Quae Archytæ in aliorum scriptis supersunt fragmenta, ea Meinersius consignavit (Gesch. des Ursprungs, Fortgangs u. Verfalls der Wiss. in Griechenland und Rom tom I. pag. 598. sqq.). Praeterea cfr. Gust. Hartensteinius de Archytæ Tarentini fragmentis philosophicis, Lips. 1833.

quiescit, motum vel quod movetur, 7.) *εὐθύ, καμπύλον*, rectum, curvum, 8.) *φῶς, σκότος*, lumen, tenebrae, 9.) *ἀγαθόν, κακόν*, bonum, malum, 10.) *τετράγωνον, ἑτερόμηκες*, quadratum, oblongum, cujus non omnes partes ejusdem longitudinis sunt, quod longius est altero latere. Alii loco nono pro bono maloque posuerunt: *νοῦς, δόξα*, mens, opinio, secundum Themist. comment. ad loc. I. Aristotelis. Sed has categorias Alcmaeonis fortuito casu correptas, non ex una origine vel stirpe repetitas esse, quod judicat Kantius²⁾ de categoriis Aristotelis, facile potest observari. Nam ita etiam alia opposita posse inveniri, vel ex eo patet, quod opposita nono loco collocata non ab omnibus eadem referuntur. Possis eodem jure mentem opponere corpori, incorporale corporali, immortale mortali, pulcrum deformi, gloriam infamiae, honestatem turpitudini, et multa alia. Sed Alcmaeo Pythagoreus non nisi decem opposita enumeravit, quia hic numerus Pythagorae discipulis sanctus erat, quippe qui arbitrarentur universum mundum decem sphaeris contineri, sphaera stellarum inerrantium, quinque sideribus errantibus, (Marte, Mercurio, Jove, Venere, Saturno), sole, luna, terra et sphaera quadam invisibili et caliginosa terrae opposita, quae nominabatur *ἀντίχθων*, a qua statuebant solis et lunae defectionem adduci, dum caligine sua tegeret vel solem vel lunam. Sanctitatem huic numero attribuisse videntur, quia natura decem nobis dedit digitos, quare factum est, ut computemus ad nostra usque tempora decem, non, quod multo commodius aptiusque esset, duodecim numeris.³⁾ Sacra igitur erat Pythagoreis *τετρακτύς* ἢ *τετράς*, quaternio. Est vero *τετρακτύς* secundum Sextum Empiricum adv. math. IV, 2. nil aliud, nisi complexus decem rerum, *ὁ ἐκ τῶν πρώτων ἀριθμῶν συγκείμενος τεσσάρων ἀριθμῶς*, numerus compositus ex prioribus quatuor. Nam si unum addideris duobus, hisque tribus tria, hisque sex quatuor, habes decem, *ὅς ἐστι*, addit, *τελειότατος ἀριθμῶς*. Fortasse etiam Tetractys nomen duxit a quadrato mystico,⁴⁾ in quo priores quatuor numeri ita sunt collocati, ut

²⁾ Kritik der reinen Vernunft pag. 107. „Da er kein Prinzipium hatte, so „raffte er sie auf, wie sie ihm aufstiessen“.

³⁾ Non difficilium esse duodecim numeris rationes subducere, quam decem, quatuor programmatibus ostendimus annis 1817. 18. 20. 23.

⁴⁾ Quod, ut luculentius sit, hic subjungamus

1	2	3	4
2	4	1	3
3	1	4	2
4	3	2	1

sive numeros computaveris oblique, sive directe a sinistro ad dextrum, vel a summo ad infimum, ergo triplici computatione, semper habeas decem. Perperam plures, etiam Stephanus in thesauro linguae Graecae tom. III. pag. 1420. 21. et Passovius in glossar. graec. linguae vocem *τετρακτύς* ita interpretantur, ut idem esse dicant atque *τετράς*, quaternio. Dicitur sacra decas, *τετρακτύς*, *πηγὴν ἀενάου φύσεως ῥίζωμα τ' ἔχουσα*, fontem aeternae naturae et radicem habens, i. e. in se continens. Verba Sexti Empirici petita sunt ex Pythagor. carm. aur. 47. 48.

*Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὴν,
παγὰν ἀενάου φύσεως.*

Sic jurabant adeo Pythagorei per hunc numerum, et per Pythagoram, qui iis eum demonstraverat. ⁵⁾

Sed quamquam haec ratio categorias definiendi non poterat probari, quum fundamento carens arbitrio niteretur, tamen periculum factum erat stirpes nostrae cogitationis reperiendi, et Aristoteles in topicis (I, 7.) et in libello de categoriis cap. 4. alia, sed etiam decem rerum praedicamenta exposuit, in topicis haec quidem: 1.) *τί ἐστι*, 2.) *ποσόν*, 3.) *ποιόν*, 4.) *πρὸς τι*, 5.) *ποῦ*, 6.) *ποτέ*, 7.) *κεῖσθαι*, 8.) *ἔχειν*, 9.) *ποιεῖν*, 10.) *πάσχειν*, atque in libello de categoriis ita scribit: *τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἢ τοι οὐσίαν σημαίνει, ἢ ποσόν ἢ ποιόν ἢ πρὸς τι ἢ ποῦ ἢ ποτέ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν· ἐστὶ δὲ οὐσία μὲν ὡς τύφῳ εἰπεῖν οἶον ἄνθρωπος, ἵππος· ποσόν δὲ οἶον δίπηχυν, τρίπηχυν· ποιόν δὲ οἶον λευκόν, γραμματικόν· πρὸς τι δὲ οἶον διπλάσιον, ἡμισυ, μείζον· ποῦ δὲ οἶον ἐν Λυκείῳ, ἐν ἀγορᾷ· ποτέ δὲ οἶον ἐχθές, πέρυσιν· κεῖσθαι δὲ οἶον ἀνάκειται, κάθεται· ἔχειν δὲ οἶον ὑποδέεται, ὀπλίσται· ποιεῖν δὲ οἶον τέμνει, καίει, πάσχειν δὲ οἶον τέμνεται, καίεται.* Quae nullo nexu verborum dicuntur, horum unumquodque aut substantiam significat, aut quantum aut quale aut ad aliquid relatum, aut ubi aut quando sit, aut esse in aliquo statu aut aliqua re praeditum, aut agere aut pati. Est vero substantia, ut exemplo dicam, velut homo, equus; quantum, velut bicubitale, trium cubitorum; quale, ut album, grammaticum; ad aliquid relatum, ut duplum, dimidium, majus; ubi, ut in Lyceo, in foro; quando, ut heri, anno priore; in aliquo statu esse, velut jacet, sedet; esse ali-

⁵⁾ Plura de hac re legere potes in Marbachii libro: *Geschichte der griechischen Philosophie*, Lips. 1838. pag. 116., qui doctrinam Pythagoreorum de numeris fusius exponit.

qua re praeditum, velut calcei ei subligati sunt, armis instructus est; agere, veluti secat, urit; pati, veluti secatur, uritur. Sed libellum de categoriis ab Aristotele vere confectum esse, multi erant, qui negarent; nobis libelli sinceritatem probare hic non licet angustos propter scriptionis limites, sed ablegemus legentes ad Krugium, qui in observationibus criticis et exegeticis in Aristotelis librum de categoriis, partic. I. de libri sinceritate, Lips. 1809. demonstravit, posteriorem libri partem inde a capite octavo, quae vulgo hypotheoria nominatur, esse subditiçiam, in priore autem, protheoria, superesse fragmentum magnum libri Aristotelici de categoriis. Etiam Jo. Theophil. Buhle in editione Aristotelis Vol. I. pag. 433 sqq. ea refutavit, quibus adducti libellum non esse Aristotelis, probare conati sunt.

Sed quum illae categoriae non viderentur sufficere, quum reperirent meditando varias notiones, quae illis non contineri viderentur, factum est, ut quinque praedicamenta in hypotheoria adjicerentur, τὰ μετὰ τὰς κατηγορίας, quae postpraedicamenta, i. e. fundamenta notionum post decem illa inventa a philosophis appellata sunt.⁶⁾ Primum erat ἀντιζείμενον, oppositum, id, quod jam Alcmaeon pro fundamento cognitionis humanae habuerat, quem decem genera oppositionum statuisset diximus; sequebatur πρότερον, prius, antecedens, ὕστερον, posterius, consequens, ἅμα, quod simul est, κίνησις, motus. Apparet, si Alcmaeonis categorias comparaveris cum categoriis Aristotelis, illum una categoria eaque non ab Aristotele, sed ab ejus discipulis proposita, excogitanda viam ostendisse earum quaerendarum, vel ipsum excitasse philosophos ad fundamenta scientiae exquirenda. Sunt vero illae notiones, quae designantur posterioribus istis praedicamentis, ejusmodi, ut jure secundarias dicere possis, minime primarias, quia in decem prioribus, quales definivit Aristoteles, jam insunt et ex iis deduci possunt. Pertinet enim ἀντιζείμενον, oppositum ad πρὸς τι et ποιόν; utraque categoria conjuncta quaeritur, quale aliquid sit, si refertur ad aliud, et tunc vel est ei oppositum, vel consonum, vel potest etiam haec esse relatio duarum rerum, ut partim sint consonae partim oppositae. Nam nisi res refertur ad aliam, non potest ea opposita dici vel cogitari. πρότερον, ὕστερον et ἅμα manifesto continentur categoria ποτέ, si hanc conjun-

⁶⁾ Priores decem categoriae a nonnullis antepaedicamenta appellabantur, quum alii hac voce ea insignirent, quae Aristoteles in libello de categoriis cap. 1. de homonymis, synonymis, paronymis, et cap. 2. et 3. de universali et speciali praemittit.

xeris cum categoriis *ποιόν* et *πρός τι*. Nam si tempus, quo res est, consideras, et quaeris, qualis sit ratione temporis cum alia comparata, manifestum est, eam vel esse simul, vel prius, vel posterius, quibus categoriis tempora praesens, praeteritum et futurum respondent. Quodsi *ζίνησιν* contemplamur, apparet, hanc categoriam existere, si *πῶν* et *ποτέ* cum *πρός τι* coniunxeris, i. e. si quaesiveris, quae sit rei relatio ad locum, in quo versatur, temporis ratione simul habita. Moratur enim vel omni tempore in eodem loco, vel alio tempore alio in loco reperitur. Quodsi posterius est, movetur. Si vero relationem rei ad tempus solum spectas, ergo *πρός τι* et *ποτέ* conjungis, addere possis categorias: nasci, durare et interire; nam haec est rerum ad tempus relatio, ut vel esse incipiant, vel esse pergant, vel esse desinant. Ita ex scientiae nostrae principiis ab Aristotele inventis multa alia potes deducere, quae tamen ipsa, quia deducta sunt, non possunt jure principia dici. Nec minus quinque posteriores categoriae prioribus illis decem continentur.

Sunt vero decem primariarum categoriarum duo genera, alterum *οὐσίαι*, latine substantia, alterum *συμβεβηκός*, latine accidens. Nam quidquid mente concipitur, aut est res quaedam per se exstans, substantia, aut aliquid, quod rei accidit, accidens, quod rei adhaeret. Prioris generis categoria una tantum est, eaque omnium princeps, quippe in qua inest accidentium fundamentum, quae nisi in substantia esse et cogitari non possunt; posterioris generis categoriae novem sunt, prima quantitatis, quae mensuram vel numerum rei describit, adjectivum numerale, altera qualitatis, quae indicat, quae rei cujusdam sint attributa, quis color, quid studii, adjectivum rei conditionem aliquam exponens, tertia relationis, quae rerum naturam comparatione describit, rem cum alia compositam definit; quae quidem tria complectuntur adjectiva, quae substantivis addi solent. Quarta est categoria adverbii loci, in quo loco vel ubi res sit, significans, quum in nullo loco esse non possit, quinta adverbii temporis, quando res sit, ostendens, quum quidquid sit, unquam sit oporteat. Sexta, septima, octava et nona denique complectuntur varia verborum, quae a grammaticis dicuntur, genera, verbum intransitivum, quod qua aliquis sit conditione, indicat, verbum possessivum, quod qua re aliquis sit praeditus, designat, verbum activum, quo aliquem vim suam exserere in aliud, et denique passivum, quo aliquem vi alterius affici declaratur. Sed haec novem non possunt praedicari, nisi prius cogitatum fuerit aliquid, quod est, substantia, quae per se quasi substat separata, quasi substratum aliquid vel res, cujus sit mensura, cu-

jus sit color vel studium, quae cum alio comparetur, nec potes nisi rei, quae est, locum vel tempus assignare; neque aliqua in conditione versari, neque possidere aliquid, neque agere neque pati potest, nisi quod exstat. Jure igitur prima categoria fundamentum habetur, quo reliquae innituntur, sine quo nec esse nec cogitari possunt. Sic igitur harum decem categoriarum duo sunt genera, οὐσία et τὰ συμβεβηκότα. Haec vero οὐσία in topicis describitur verbis τί ἐστίν, i. e. quid est, unde scholasticorum verbum Quidditas excusum est. Ergo prima categoria secundum topica non rem ipsam, sed rei naturam indicat, quam aptius dixeris rei essentiam, quam quidem vocem a Cicerone effectam esse, ad interpretandum vocabulum οὐσία⁷⁾, ex Seneca (epist. 58., in editione

⁷⁾ Mirum est, vocabulum essentiae neque apud Ciceronem, neque apud Senecam, si priores editiones evolveris, (e. c. Erasmi Roterodami, Basil. 1529. pag. 130.), reperiri, ubi ita legis: „non celabo te, cupio si fieri potest, propriis tuis auribus, quid sentiam dicere. Sin minus, dicam et iratis. Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem, si recentiore quaeris, „Fabianum disertum“ etc. — „Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur „οὐσία“, res necessaria natura, continens fundamentum omnium? Rogo „itaque permittas mihi hoc verbo uti, nihilo minus dabo operam, ut jus a „te datum parcissime exerceam, fortasse contentus ero mihi licere.“ Quae si quis attentus perlegit, quaerat oportet, quodnam illud sit verbum, quo uti velit Seneca, et cujus auctorem Ciceronem esse dicat. Nam his lectis atque relectis illud verbum frustra quaesierit. Erat vero Mureti solertia, quae hoc verbum in „quid sentiam“ indagavit. His enim acutissime substituit: „essentiam dicere“, quod receperunt, qui post eum Senecam ediderunt. Disserit de hac re in libro variarum lectionum XV, cap. 20., ubi ait, Sergium Flavius Fabianum, quum philosophiam civitate donare vellet, multa vocabula novasse, et putatum esse primum Graecorum οὐσίαν latine nominasse essentiam. Sic Quintilianus (institut. orator. lib. II, c. 14.), quum rhetoricen a nonnullis latine oratoriam vel oratricem vocari dixisset: „haec“, inquit, „interpretatio non minus dura est, quam illa Flavii (alii legunt perperam Plauti) essentia atque entia“; idem (lib. III, cap. 6.): „οὐσίαν, quam „Flavius (alii: Plautus) essentiam vocat, neque sane aliud est ejus nomen latinum“; idem denique (lib. VIII, c. 3.): „multa ex Graeco formata „nova, ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut ens et essentia“. Quibus haec addit, quae in primis iis in memoriam revocanda esse videntur, qui nimis fastidiose hodie permulta vocabula latina extrudere conantur: „quae cur tantopere aspernemur, nihil video, „nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus; ideoque paupertate sermonis „laboramus. Quaedam tamen perdurant. Nam et quae vetera nunc sunt,

Erasmi Rot. 59.) discimus. Rei essentia non est, nisi τὸ esse, ipsum esse rei, ergo id, quod res est, sine quo esse desinit, sine quo nulla est, quo sublato tollitur ipsa. Igitur illud *τι ἐστι*, non idem est, atque *ποσόν, ποιόν*. Nam quanta res est, qualis res est, ad id ipsum non pertinet, quod est. Quantitas et qualitas ipsam rei naturam non facit, est accidens. Ut exemplo utar, ad hominis naturam ipsa essentia sua pertinet animus, i. e. sine animo homo nullus est, sed quanta hominis sit statura, qualis color, quale studium, hoc inter ea, quae forte accidunt, referendum est. Vocabulum *οὐσία* non tantum naturam rei significare, sed maxime id ipsum, esse aliquid, exstare, videtur nobis manifestum esse ex Sophocle Trachin. 911., ubi legitur: *ἄπαιδες οὐσίαι*, vita sine liberis, ea conditio vitae, qua aliquis liberorum non est particeps (das kinderlose Seyn); minus apte diceretur natura expers liberorum, (das kinderlose Wesen), quia id accidens est, quod aliquis liberos non habet. Quodsi Aristoteles dicit: *τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων, συμπλοκὴ* est nexus verborum in enunciatione conjunctorum. Sic Plato in Theaeteto pag. 202. B. (ed. Astii II. p. 172.) *ὀνομάτων ξυμπλοκὴν εἶναι λόγου οὐσίαν* dicit, i. e. sermonem constare connectendis verbis, et Aristot. de anima III, 8. §. 3.: *συμπλοκὴ νοημάτων ἐστὶ τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος*, verum aut falsum est in conjunctione cogitationum. Ergo verborum, quae non connexa, sed separata ab aliis, quae singula sunt, significat unumquodque aliquam categoriarum vel

„fuerunt olim nova et quaedam in usu perquam recentia.“ Sic igitur auctoritate Ciceronis vocabulum essentiae muniri, ignorasse videtur Quinctilianus, quia ad Fabianum originem ejus refert, quem Seneca elegantem et orationis etiam ad sui temporis fastidium nitidae esse dicit. Ut vero Muretus ingeniosam suam conjecturam alius testimonio fulciret, ex Sidonii Apollinaris epistola ad Polemium, quae praemissa est carmini 14., Epithalamio quod Polemio et Araneolae dixit, in quo v. 102. voce: essentia usus est, haec affert (edit. Lugd. 1598. pag. 310.): „lecturus es hic etiam novum verbum, „id est, essentiam, sed scias, hoc ipsum dixisse Ciceronem. Nam essentiam nec non et indoloriam (cfr. Cic. de fin. II, 4, 11.; ubi vulgo edunt: „indolentia) nominavit, addens: licet enim novis verbis nova nomina imponere, et recte dixit. Nam sicut ab eo, quod est verbi gratia sapere et „intelligere, sapientiam et intelligentiam nominamus regulariter, et ab eo, „quod est esse, essentiam non taceamus.“ Pro voce indoloriae Muretus apud Sidonium ipsum „indolentiam“ legi debere arbitratur, sed vocem essentiae a Cicerone adhibitam fuisse, dubium non est, quamquam in scriptis ejus, quae nobis hodie supersunt, non invenitur.

continetur ea. Sunt igitur categoriae verba simpliciter ac per se sine conjunctione cum aliis enunciata, stirpes quasi omnium, quae ab hominibus cogitantur, omnium, quae mens humana cogitatione concipere potest. Quas dum Aristoteles explicare vult, addit *ὡς τύπων εἰπεῖν*, h. e. ut exemplo dicam. Est enim *τύπος* apud statuarios prima operis species ex argilla formata, proplasma, protypum, hinc exemplar, a quo statuarius pendet. Prima significatione *τύπος* plaga est, unde *τύπτω*, verbero, deinde *τύπος* id dicitur, quod ictibus mallei formatum est. Sicut protypo statuum, quae nondum exsculpta est, alicui ostendere potes, ita sententiam categoriarum exemplo ostendit Aristoteles.

Quos igitur fontes scientiae humanae aperuit Aristoteles suis discipulis, qui inde quinque fonticulos derivarunt, eos per multa saecula pro puris fontibus philosophi habebant, quippe qui ex iis se haurire posse putabant, quaecumque ad ullam rem penitus perlustrandam perspicendamque indagari queant. At postea cum ipsa Aristotelis philosophia, imperio multorum saeculorum privata, oblivioni sunt traditi, et quae ex iis aqua pura exhausta erat, ea exsiccata est. Sed Kantius erat, qui exsiccata irrigaret, fontes oclusos aperiret et Aristotelis doctrinam de categoriis restitueret, quamquam eam temere ex cognitione usu rerum nobis suppeditata sine norma probata formatam esse arbitrabatur, ita tamen, ut quatuor priores tantum categorias appellaret atque eas intelligeret formas mentis nostrae a priori, quibus quidquid cogitamus induimus, et separaret formas itidem a priori, quibus quidquid intuemur, sive sit sensuum sive mentis intuitus, conformamus (Aristotelis categoriam quintam et sextam), plane autem omitteret quatuor posteriores, quippe quibus insint notiones ex usu vitae petitae (a posteriori). Priores reformatas in lucem produxit: *οὐσίαν* modalitatis, *ποσόν* quantitatis, *ποιόν* qualitatis, *πρός τι* relationis nomine, ex quibus quum unicuique tres cogitandi rationes inesse intelligeret, duodecim constituit cogitandi formas, in quibus exquirendis non est temere circumvagatus, sed eas logicos iudicandi modos duodecim secutus reperit, quia cogitare et iudicare officia mentis humanae sunt sibi invicem consonantia. Nam secundum modum, quo ipsa iudicia cogitantur vel exstant i. e. *οὐσίαι* sua, ea vel sunt problematica vel assertoria, vel apodictica, ut notiones iudiciis cogitentur vel tales, quae conjungi possint, vel quae re ipsa conjunctae sint, vel denique quae disjungi nequeant. Potest fieri, ut equus albus sit, hic equus albus est, triangulum non potest non habere tria latera. Problematica iudicia ita nominantur, quia res in iis tantum cogitationi est proposita et quasi projecta ad

solvendum. Problema dicitur, quod alicui, ut dissolvat, proponitur. Assertoria judicia vere affirmant, esse aliquid vel non esse, apodictica denique, aliquid necessario ita esse, neque aliud esse posse, probant. Nomen habent ab argumentatione, vel probatione, quae Graecis ἀπόδειξις dicitur. Est igitur ratio, qua aliquid est, i. e. οὐσία vel problematica, i. e. potest fieri et esse, vel non potest, est possibile vel impossibile, vel est assertoria, res vera vel est vel non est, vel est apodictica ita ut vel necessario sit, vel casu quodam. (Möglichkeit, Unmöglichkeit — Wirklichkeit, i. e. Daseyn, Nichtseyn — Nothwendigkeit, Zufälligkeit, — das mögliche, wirkliche, nothwendige Seyn). Alterum ποσόν denuo tria genuit genera, quum judicia aliquid edicant vel de uno vel de pluribus vel de omnibus. Est iudicium, si quantitatis rationem habueris, vel individuale, si quid enunciatur de uno v. c. homine, vel particulare, si de pluribus, vel universale, si de omnibus dicitur. Sic cogitatum vel unum tantum individuum comprehendit, vel plures ejusdem generis res vel omnes (Einheit, Vielheit, Allheit). Tertium ποιόν etiam tria profert genera. Nam vel tribuitur in iudicio rei cogitatae aliquid vel abjudicatur vel denique eo, quod alterum tollitur, alterum statuitur. Si tollo mortalitatem animi, eo ipso immortalitatem statuo. Est igitur secundum qualitatem iudicium vel affirmans sive positivum, quod aliquid asserit, v. c. rosam esse rubram, vel negans, quod dicit non esse, v. c. rosam non esse viridem, vel denique limitans, quod litem sive terminum ponit vel rem limitat. Nam limes existit, si hic ajens aliquid, illic negans locum habet. Praedicatum in his iudiciis adjungitur subjecto affirmate, sed ipsum est negans. Ita differt ab iudicio affirmante, ubi et conjunctio et praedicatum affirmat, et negante, in quo conjunctio negat, sive praedicatum ajens sive privans sit; quod si privans est, quoniam duplex negatio affirmat, iudicium existit affirmans. Si nego scammum non esse ligneum, eo ipso edico, ligneum esse. Si ajo: brutum animal non est immortale, hoc dico: est mortale. Limitans iudicium tale est, in quo conjunctio affirmat, sed praedicatum negat. Si animum immortalem esse enuncio, mortalitate, quae est ajens aliquid, tollenda immortalitatem, privans aliquid, statuo. Si hominem indoctum esse dico, doctrina sublata literarum ignorantiam statuo. Olim dialectici haec tertii generis judicia vocabant infinita vel indefinita, quia rem non accurate definiunt, sed indefinite enunciant. Nam eam referunt inter illas, quibus nota negata non convenit, sed non diligentius definiunt. Quod ex his exemplis patebit: Animus immortalis est, i. e. aeternus, quoniam vi-

tam habet. Sed si verba: immortalis est, ita intelligeres: mori non potest, etiam lapis non potest mori, qui tamen minime aeternus est, quia non vivit. At definita est ajens enunciatio: animus aeternus est. Si homo indoctus dicitur, possumus hoc interpretari: est literarum expertus, quod idem etiam de lapide dicere possis, quem tamen minime indoctum dicere licet, quia homo quidem, sed non lapis doceri potest. Sic limitantia judicia sunt indefinita. Sed tamen id, de quo dicitur, limitibus circumscribunt. Namque in priore major rerum numerus, quae mori non possunt, quia nunquam vixerunt, ab iis rebus separatur, quae mori possunt, nec tamen moriuntur, in posteriore sejungitur major rerum numerus, quae doceri non possunt, ab hominibus, qui doceri poterant, nec tamen docti sunt. Contra qui negat, animum mortalem esse, eum refert inter omnes res, quae non moriuntur, etiam eas, quae vita carent; qui negat, hominem doctum esse, eum dicit pertinere ad res doctrinae expertes, etiam eas, quibus natura sua nulla discendi facultas est. His ita expositis patet, cogitatione vel poni id, quod est, habere igitur realitatem, vel negari id quod non est, esse igitur negationem quandam, vel poni aliquid negante praedicato, unde existit limitatio (Realität, Negation, Limitation). Denique categoria *πρός τι* a Kantio dicitur relatio, et rursus in tria dispescitur genera, quia judicia secundum relationem vel sunt categorica vel hypothetica vel disjunctiva. Vel simpliciter, praecise, aliquid esse dicimus vel sub conditione quadam vel ita, ut alterum ex duobus vel pluribus esse judicemus; *κατηγορεῖν* est: simpliciter praedicare. Praedicamus igitur in categoricis judiciis, aliquid esse, nulla nec conditione (quae dicitur *ὑπόθεσις*, suppositio), nec disjunctione adjecta, v. c. homo doctus est, deinde adjecta conditione: homo si multa didicit, doctus est, denique apposita disjunctione: homo vel doctus vel indoctus est, triangulum est vel aequilaterale, vel aequicurium, vel inaequale. Sic tria relationis oriuntur genera, substantialitas, qua aliquid simpliciter est (substantia et accidens), causalitas, qua aliquid conditio alterius vel ipsum sub conditione quadam est (causa et effectus), ac communitas, qua mutuo alterum in alterum vim exserit, alterum alterum tollit (vis reciproca agentis et patientis). Ita mihi persuasum est, has categorias Kantii idem describere, quod Aristoteles quatuor prioribus categoriis indicavit, quamquam aliquis arbitrari possit, *οὐσίαν* Aristotelis respondere substantialitati Kantii, sed quia hanc retulit ad categoriam relationis, non intellexit ipsam substantiam, sed conditionem rei, qua potest substantia esse, et hac voce complexus est substantiam

et accidens, quippe inter quae intercedit necessaria quaedam relatio. Nam substantia cogitatur id, quod substratum quasi est accidentibus, et accidens sine substantia cogitari nequit. Itaque triplex ratio, qua aliquid est, (modalitas) melius respondet *οὐσίᾳ* Aristotelis.

Categories *ποῦ, ποῦ* sejunxit Kantius a prioribus quatuor propterea, quod non sunt mentis praedicamenta, sed sensuum (Sinneskategorien secundum Krugium), quia omnia, quae sensibus percipimus, in spatio sunt et in tempore, quas quidem Krugius⁸⁾ his verbis designat: Räumlichkeit (in spatio esse), Zeitlichkeit (in tempore esse), cui tertium ipse addit, quod nec Kantius habet nec Aristoteles, spatii in tempore mutationem, mobilitatem, Raum-Zeitlichkeit, s. Beweglichkeit, quam quidem *κίνησιν* Aristotelis discipulos categoriis addidisse jam antea vidimus, quam tamen non posse ad principia cogitationis referri, demonstravimus, quum oriatur eo, quod relationem rei ad locum, in quo est, et ad tempus, in quo exstat, contemplans novam fingit categoriam. Quodsi idem Krugius realitatem Kantii ex categoriis qualitatis expunxit, et ei positivitatem quam appellat, i. e. qualitatem, qua aliquid esse ponitur vel statuitur, substituit, non quidem rem, sed nomen mutavit, atque commendavit, quod manifesto accommodatius est. Nam realitatem fundamentum omnium categoriarum, primam omnium esse, ingeniosus philosophus bene vidit et realitati opposita est idealitas, non negatio. Sic Krugii realitas convenit Aristotelis *οὐσίᾳ*, quam hic quoque primo loco collocavit, si eam cum Seneca (epist. 58. vel 59.) intelligimus rem necessariam, quae naturam continet, fundamentum omnium. Malim tamen *οὐσίαν* Aristotelis ita interpretari, ut modalitati Kantii par sit, quia ipse alio loco pro hoc vocabulo verbis usus est: *τί ἐστι*. Nam illud *τί* diversos significat modos, quibus res esse possunt, modos essentiae (pag. 12.). Sunt enim vel cogitatione, si notae earum se non invicem tollunt, vel re ipsa, si exstant, vel necessitate quadam adjuncta, si non possunt non esse.

Ceterum sagaciter observavit Trendelenburgius doctiss., Aristotelem ex grammatica potius, quam ex logica categorias suas repetisse, quod quidem non mirum, quia humana ratio, fons logices, non potest sua praecepta ostendere et declarare, nisi per linguam. Lingua depingit omnes mentis actiones, i. e. cogitationes. Hinc ex lingua bene exulta, qualis est latina et graeca, optime logices praecepta percipi possunt. Ergo ex lingua, quae est viva ars

⁸⁾ Vid. ejus Enkyklopädisch-philosophisches Lexikon, edit. 2. tom II. pag. 587. ubi improbat, quod Kantius eas in categorias non retulit.

logica, praecepta mentis optime deducuntur.⁹⁾ Sic categorías Aristotelis uno oculorum obtutu comprehensas in tres partes discedere animadvertit Trendelenburgius.¹⁰⁾ Quae quatuor genera primo loco collocata sunt, ea, si grammaticas orationis partes comparaveris, substantiva ait una cum adjectivis et numeralibus, quae quatuor postremo loco, ea verborum genera complecti, quae interjecta sunt (*ποῦ, ποτέ*), adverbiorum naturam referre. Desiderat vero conjunctiones, quas tamen non ab Aristotele neglectas, sed jure omissas esse censet, quoniam, quum non nisi enunciata jungant, non possint ad ea referri, quae sine nexu aliquid significant, *τὰ κατὰ μὴδμίαν συμπλοκὴν λεγόμενα.*

Sed quum grammatici vulgo tria tantum verborum genera enumerent, intransitiva, transitiva sive activa, et passiva: mirum videri possit, quod hic quatuor memórantur ab Aristotele. Primum verbum est *κεῖσθαι*, quod manifesto describit genus intransitivum. Ipse explicat exemplis: jacet, sedet aliquis, quae quidem sunt intransitiva, quia quod indicant non transit in alium, quare non postulant, ut addatur accusativus, sine quo verba transitiva esse non possunt, quae actionem significant, quae quidem tendit in alium. Activo oppositum est passivum, ubi alterius actio in me tendit. Habet Aristoteles verba *ποιεῖν* et *πάσχειν*. Haec quidem ex elementis grammatices jam pueris non sunt ignota. Sed quid verbum *ἔχειν* velit, hoc quaesierit aliquis, eoque magis, quod huic verbo activo exempla adduntur verborum passivorum. Jure tamen opponit philosophorum princeps *κεῖσθαι* et *ἔχειν*, namque utrumque ejusdem generis, specie diversum est; indicat enim aliquem statum, in quo homo est, et propterea differt a *ποιεῖν* et *πάσχειν*, alterum quidem (*κεῖσθαι*) statum passivum, habitum quendam, alterum (*ἔχειν*) statum activum. Qui enim *κεῖται*, is in statu est, in quo in alium vim non exserit, sed potius ipse quodammodo afficitur, est in aliquo statu, tenetur aliquo statu, habetur quasi a statu, status eum habet; sed *ἔχειν* significat statum, in quo aliquis efficax est, nam quam rem possidet vel habet, ea ipsius arbitrio subjecta est et ex sua voluntate pendet, ita ut possessoris ad rem, quam possidet, relatio activa dici queat, licet ipsa possessio non sit actio, sed potius status quidam, in quo versatur. Si exempla ab Aristotele adjuncta passiva verba exhibent, hoc propterea factum est, quod illa prae-

⁹⁾ Trendelenburgius (*Logische Untersuchungen* I. p. 314.) logicam et grammaticam geminas sorores nuncupat.

¹⁰⁾ *Elementa logices Aristotelicae*, Berol. 1842. pag. 53.

terito tempore leguntur, et potestatem habent non possidendi, sed dandi. *ὑποδέ-
δεται* is, cui subligati, ergo dati sunt calcei, qui igitur iis donatus calceos
habet; *ὄπλισται* is, cui arma data sunt, qui ergo arma habet. Uterque igitur
aliquam habet potestatem rei acceptae, et qui rem habet, ea utitur, eam ad
usum adhibet.

Quum autem ulterius rem persequi non liceat, hoc unum tantum hortor
tirones, ut animadvertant, quanta appareat sagacitas Kantii in eximendis e
nucleo categoriarum stirpibus cogitationum, si contuleris exempla Aristotelis,
quibus illas illustrat, v. c. quantitatem per *δίπηχυν*, *τριπήχυν*, qualitatem per
λευκόν etc., ex quibus manifestum est, eum obvium quodque ex vitae usu de-
cerpsisse.

Sed nunc eo ipso die, quo primum lustris noni annum confecimus, ex
quo scholas in hoc Gymnasio habere coepimus, munere Conrectoris tribus
diebus ante, quum Sylverstainii memoria solempni ritu recoleretur, suscepto,
haec eadem solempnia Rudolpho Ferdinando Libero Baroni a Syl-
verstain et Pilnickau, eujus immortalia de Gymnasio nostro sunt me-
rita, sacra cras celebranda nobis sunt indicenda.

Primum ipse exponam, quibus sub conditionibus aliorum de
iis, quae facimus, judicia sint negligenda et despicienda.

Deinde Franciscus Theodorus Hermannus Fennig, Gor-
licensis, civis primae classis, disseret de nominis fama post mortem,
tum Bernhardus Otto Schmaltz, Rückeridorpio-Sprottaviensis,
secundae classis adscriptus, de praestantia artis mathematicae,
denique Pistotheus Orthobius Leopoldus Gramm, Hart-
mannidorpio-Saganus, qui scholis quartae classis interest, de summo pre-
tio pietatis coll. 1 Timoth. IV. 8.

Hi enim tres adolescentes beneficio Sylverstainiano hoc anno fruuntur.

Omnes orationes sermone patrio habebimus. Quare si eas qui nostro
Gymnasio cupiunt aequo animo audire velint, magistros ac discipulos Gymnasii
grata hoc afficiet laetitia.

P. P. die XVI. Maji MDCCCXLIV.

terito tempore leguntur, *δετα* is, cui subligati habet; *ὀπλισται* is, e aliquam habet potestat usum adhibet.

Quum autem ult tirones, ut animadver nucleo categoriarum s quibus illas illustrat, *λευκόν* etc., ex quib cerpsisse.

Sed nunc eo ipso quo scholas in hoc diebus ante, quum Sy haec eadem solemnia verstain et Pilni rita, sacra eras celeb

Primum ipse ex iis, quae facimus Deinde Franc licensis, civis primae tum Bernhar secundae classi adseri denique Pisto mannidorpio-Saganus tio pietatis coll.

Hi enim tres ad Omnes oratione Gymnasio cupiunt ae grata hoc afficiet laet P. P. die XVI.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

R G B
 Y M
 C
 K
 G
 W

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

l dandi. *ὑποδέ-*
 donatus calceos
 Uterque igitur
 utitur, eam ad

n tantum hortor
 in eximendis e
 mpla Aristotelis,
 , qualitatem per
 ex vitae usu de-

confecimus, ex
 nrectoris tribus
 retur, suscepto,
 Baroni a Syl-
 nostro sunt me-

s aliorum de
 spicienda.
 Fennig, Gor-
 post mortem,
 -Sprottaviensis,
 ematicae,
 Gramm, Hart-
 e summo pre-

anno fruuntur.
 si eas qui nostro
 cipulos Gymnasii